

non permittentes, ut subditi vestri vel quicunque alii ex vestris munitionibus et de terra vestra ipsos dominos vel eorum terras, civitates et opida infestent seu aliquid molestie inferant, ne sic de vestris amicis vobis faciant inimicos et in vos consequenter transferant guerram suam, sicut tempore meo recolo dominis quibusdam non semel, sed pluries contigisse. — Ipsis quoque vestris vicinis civitatibus et opidis ac aliis pertranseuntibus iter tutum faciatis, non permittentes eis inferri molestiam. Hec vobis cum vestris concordiam stabilem conservabunt, hec vestram famam longe lateque divulgabunt, per haec eritis tam incolis quam extraneis non solum metuendus, verum etiam ab omnibus collaudandus, sicque terra vestra stabit in pace et requie opulenta.

II. De consiliariis.

Item consiliarios habeatis viros maturos, iustos et fideles, deum timentes, qui in consiliis dandis non querant lucra propria vel suorum. In consiliis autem semper attendatis, quid quisque consulat, utrum bene aut non bene, et eorum dicta tacite examinetis in corde, ut possitis, dum tempus fuerit, commode respondere et ad ea vos habere prudenter, ut, si (242^v) dixerint vel consulant, quae vera sunt et iusta, illa admittatis.

Et si ex eis aliqui sint, qui odio aut favore ducti rogant vel consulant, quod non sit iustum, illius nequaquam admittatis consilia sive partes, semper veritatem sequentes et iustitiam, doctore propheta¹: 'Iuste iudicate filii hominum'; unde dicitur Sapientiae VI²: 'qui custodierint iustitiam, iustificabuntur'.

III. De officiatis.

Item ad officiarios vestros attendere curetis, ne vestros homines et subditos gravent indebite. Eorum computationes personaliter audiat ad eas sollicite attendentes. Officiarios, in quantum vitare poteritis, mediante pecunia in officiis vestris non ponatis, pro qua ipsa officia obligetis eisdem, quod eo ipso quodammodo se reddunt suspectos, qui quaerunt officia pro pecunia obtinere. Et si quos huiusmodi in officiis vestris inveneritis, suo tempore, quo commodius breviusque poteritis, non officiantes, si vobis utiles

1) Das ist kein wörtliches Vulgata-Zitat.
custodierint iusta iuste, iustificabuntur'.

2) V. 11: 'Qui enim